

dicta oppositum vel probatum esset quod relevaret, dare debeat intromissionem bonorum debitoris creditori petenti, ipso creditore iurante se quod petit iuste petere et habere debere; in aliis vero instrumentis scripturis testamentis vel codicillis, ubi non essent // bona debitoris obligata, procedere debeat 193 B secundum formam statutorum sive ordinamentorum civitatis Tergesti. Excepto quam de pane vino carnibus sale affictu domorum frumento farina et aliis victualibus, de quibus fieri debeat ius secundum formam aliorum statutorum civitatis Tergesti. ¶ Et exceptis feneratoribus, quibus potestas facere debeat ius secundum formam statutorum et ordinamentorum Tergesti loquentium de predictis. ¶ Et aparente aliquo termino locato tam quindecim dierum quam unius mensis alicui persone de predictis in aliqua questione, quod alius terminus pro eadem re amplius locari non possit vel debeat, videlicet unius mensis vel quindecim dierum. ¶ Si vero aliqua persona, [que] esset obligata alicui in aliqua quantitate pecunie pro blado vel farina tenore alicuius precepti instrumenti vel scripture, non solverit dictum debitum in termino vel terminis in dictis precepto instrumento vel scriptura contentis, quod elapsis octo diebus post dictum terminum, constringatur per dominium Tergesti incontinenti ad standum in palacio communis, et nichilominus pignoretur per dominium Tergesti usque ad integram solutionem creditoris de denariis per ipsum petitis et de expensis per ipsum legitime factis, et hoc ad petitionem creditoris iurantis si (de) dederit farinam vel bladum in ipsis precepto instrumento vel scriptura contentum, si per debitorem fuerit requisitus.

Cap. VIII. Rubrica de petentibus aliquod debitum vel rem mobilem a commissariis vel heredibus alicuius persone mortue. R.ca.

In presenti statuto ordinamus quod, si qua persona petierit coram dominio Tergesti ab aliquibus // commissariis vel 194 A heredibus alicuius persone mortue aliquam quantitatem pecunie vel aliam rem mobilem a libr. centum par. inferius,